



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

IX. De modo vtendi in Societate e denunciatione Euangelica, seu
charitatiua hactenus explicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

punitionem, fieri potest de peccato omnino occulto, ut scholastici omnes cum Augustino docent; imò multi ita intelligunt verbum Christi, si peccauerit in te, ut supra cap. præced. n. 16. declaravi. Denuntiatio autem iudicialis cum eo tendat, ut in foro externo, & per ministerium iudicis, ut sic, finis intentus comparetur; regulariter postulat, ut sit de re non omnino occulta; sed probabili, vel saltem improbabili, ut index possit postea iuridicè procedere; quod sumi potest ex cap. ultimo. de calumniatoribus, ubi punitur denunciator, quia probatio inuenta non est, nisi se sufficienter purget, quod non calumniandi animo denunciauerit. Dixi autem regulariter, quia quando delicta sunt valde nociua comuni bono, veluti hæresis, proditio patriæ, & si que sunt eiusmodi, etiam si occulta sint, deferri possunt ad aures iudicis, ut ipse vigilet, vel inquirat quod legitime potuerit.

XV.

Potest tamen obici contra quintam differentiã, quia iura æquè videntur postulare præuiam monitionem ad denunciationem iudicalem, sicut ad paternam, ut colligitur ex cap. nouit, de iudiciis. ibi, In correctione processit secundum regulam Evangelicam, iungit glossa dicente, Alias denunciatus non auditur nisi monitione præmissa, quod videtur expressum in c. cum dilectus, de accusationibus. ibi si confiterit præfatum Episcopum de iam dictis excessibus non fuisse præmonitum ab eisdem, a denuntiatione repellatis eosdem; ubi glossa alia iura refert. Et in ca. licet Heli, de simonia, tam necessaria dicitur esse præmonitio ad denuntiationem, sicut inscriptio ad accusationem; quæ simpliciter necessaria est, & tamen in his iuribus manifestè videtur esse sermo de denuntiatione iudiciali, cum ratione illius iudex procedat ad probationem & punitionem in foro exteriori. Respondetur propter vitanda pericula calumniarum, ordinariè & regulariter non admitti ad denunciandum in foro exteriori eum, qui accusare potest, quando denunciatio ordinatur ad punitionem delicti, quia, per se loquendo, expedit ut se obliget ad probandum, qui defert alterum ad iudicium ut puniatur. Et hinc fit ut in eodem exteriori foro regulariter non admittatur denuntiatio iudicialis, nisi præcedat monitio: quia si denuntiatio ordinatur ad alios fines, via charitatis tenenda erit; si verò ordinatur ad vindictam publicam, denuntiatio regulariter non admittitur, ut dixi: nihilominus tamen ex natura rei loquendo, & in foro interiori, quando denuntiatio bona fide & intentione fit, & iudicatur moraliter necessaria ad finem intentum publicæ vindictæ, siue frater secretò emendetur, siue non, non est necessaria ex natura rei præcedens admonitio, ut ratio facta probat. Et hoc modo procedit assignata differentia.

CAPUT IX.

Utrum denuntiatio Evangelica rectè in Societate procedat.

I.

EX his ad nostrum institutum descendentes dicimus quod utrumque genus denuntiationis Societati necessarium est, sicut omni benè gubernatæ congregationi, in qua & singulorum salus, & commune aliorum exemplum procuranda sunt, ut conseruari possit, quia nulla est tam perfecta congregatio, in qua pro humana fragilitate lapsus aliqui non inueniantur, quos interdum necesse est à Prælato, ut à patre corrigi, & emendari: interdum ut à iudice castigari & præcaveri, ne in aliorum detrimentum serpent. De modo ergo utendi iudiciali denuntiatione qualiscunque ille in usu sit in hac religione, dicemus c. 13. præmittendo in c. 11. & 12. generalem doctrinam ea de re, hic solum de Evangelica disputamus. Et difficultas præcipua est, quando materia

eius est aliquod graue peccatum; nam in communibus defectibus, qui in viris etiam perfectis inueniuntur, non oportet tam scrupulose seruari dictum ordinem, ut scilicet priuata monitio præcedat. Imò poterit etiam superior huiusmodi defectus ad se delatos, & cognitos manifestare in publicis reprehensionibus, & ordinarias penitencias imponere, iuxta præxim Societatis, dummodo alicuius momenti non inferant infamiam, ac consentiat secretus delator.

Hæc ergo sit prima assertio, meritò in hac religione seruari ut in leuioribus delictis omnia priuata monitione, statim superiori manifestentur. Huius assertiois veritas (præter elisionem illam iuris, de qua in cap. 7. n. 18.) constat à fortiori, quia si iuxta præxim Societatis leues defectus à superioribus manifestantur in publicis reprehensionibus, ac penitentiis imponuntur, cum inde nulla infamia alicuius momenti creatur, neque detrimentum deferretur, atque eius beneplacitum obtinetur, ut in ordinationibus contractis c. 15. p. 2. n. 6. habetur, multo magis à fortiori licebit talè aliquem defectum soli superiori reuelare: dicta verò praxis est conformis doctrinæ D. Thomæ 2. 2. q. 33. a. 7. ad 4. ubi ait proclamações, quæ in capitulis religiosorum sunt, esse de aliquibus leuibus, quæ famæ non derogant, & ideo posse sanctè fieri sine admonitione præmissa, ut in argumento propositum fuit. Idem habet Soto dicit. Relect. membro 2. quest. 4. ad 1. confirm. 2. argumenti. In quo auctore expendo illa verba: Voco autem graues, non solum illas, quæ sunt peccata mortalia, sed quæ sunt contra famam, & honorem proximi, si qui intraret domos suspectas. Ex quibus verbis & exemplo colligo, in persona religiosa omne peccatum mortale, & omne defectum, qui possit suspitione talis peccati generare, censeri rem sufficienter graue, & consequenter (quod ad præsentem assertionem facit) omnes defectus, qui huiusmodi non sunt, censeri leues, & posse sub hac assertionem comprehendendi. Eandem ferè doctrinam habet Abulenſis in cap. 18. Matthæi q. 97. ad 8. ubi omnia peccata venialia lenia censet ad hunc effectum non præmittendi monitionem priuatam, quin potius Theologi communiter docent, peccatum veniale non esse materiam præcepti correctionis fraternæ, quia est res admodum leuis, & charitas non obligat ad subueniendum proximo in quacunque leui necessitate: quod videtur etiam ininuasse Christus Dominus in illis verbis, lucratus es fratri tuo, ut disp. quoque 3. de charitate sect. 2. n. 5. ponderauimus, hæc enim supponunt fratrem periisse, ut Augustinus inferre: ergo multo minus erit præceptum seruandi ordinem in correctione venialium, atque ex his intelliges quam recta sit dicta Societatis ordinatio.

Dices, collectionem hanc non esse validam, si peccatum non tenemur ad exercendum aliquem ad certum modum seruandum, ut non teneor orare, si tamen oro, debeo orare cum debita reuerentia, & attentione. Sic ergo licet non teneor fratrem corrigere de veniali lapsu, si tamen volo corrigere, debeo modestis verbis, & cum debito honore illum monere; ergo pari ratione debeo ordinem seruare, ut famæ proximi prospiciam, quæ non nihil, & inter religiosos non parum lædi solet ex manifestatione culparum venialium. Quæ obiectio videtur procedere contra assertionem positam. Cui tacite duo respondent D. Thom. & auctores citati. Primum est illos leues defectus non derogare famæ religiosi. Secundum est, illam non esse denuntiationem, sed recordationem obliuiscuntur culparum. Quod ita explicat Abulenſis, quia in illis capitulis debet quilibet religiosus dicere suas culpas leues, & si aliquas omittere ex ignorantia, vel obliuione, alij proclamant

tas, non tanquam accusantes, vel denunciantes, sed reducetes eum ad memoriam culparum suarum, sed ipse ex statuto dicere tenetur.

IV.

Sed hæc posterior videtur & res incerta, & nimia restrictio; sæpe enim moraliter evidens est, alium non tacere culpam suam propter ignorantiam, & obliuionem, sed propter verecundiam, vel ne cogatur poenitentiam agere, & nihilominus fieri potest, & fit illa proclamatio, sæpe etiam alter non tenebatur propria obligatione conscientie se prodere, sed ad summum ex regula, & fortasse interdum neque ex præscripta regula, sed ex generali consilio maioris humilitatis, vel poenitentiae agendæ, & tunc etiam proclamatio licita est. Est ergo illa denuntiatio, imò & aliquid amplius esse videtur, quia est publicatio. Prior ergo ratio videtur præcipua, quia illa moraliter non est infamatio alicuius momenti, & ideo oportet, ut recte significabat Soto, culpas ita esse leues, ut non inducant in suspensionem grauiorem, quod ego ita explico, ut sint defectus ordinarii circa regulam, vel opera perfectionis, qui ab omnibus, vel ferè ab omnibus, committi solent, quauis à quibusdam frequentius, quam ab aliis committantur. Nam si sint defectus extraordinarii, qui licet non sint peccata mortalia, nec ingerant suspensionem illorum, graues inter religiosos computantur, & solent impedire grauiora munera, quia plurimum minuant exultationem personæ, & ideo non facile sunt in publicum deducendi, si alias publici non sunt, cuiusmodi esset, non seruare secretum, etià de rebus leuioribus, deditum esse priuatis familiaritatibus, etiam intra religionem. Imò si sint materia detractiois iniustæ, exitimo aliquando posse sufficere ad grauem, & mortalem lapsum, quia reuera, licet culpa, de qua fit detractio, apud Deum non sit grauis, nec momentum quod inde refultat inter homines non est leue, & ideo sufficere potest ad mortalem iniuriam, sed de hoc alias, ac videri interim potest Molin. de iust. tract. 4. tom. 5. disp. 16. Acclamations ergo illæ aliarum religionum, & publicæ reprehensiones in Societate vitæ, nullam moralem infamiam habent, quia de leuibus tantum & ordinariis defectibus sunt. Quibus adde eiusmodi publicas manifestationes magis pertinere ad denuntiationem iudicalem, quam ad fraternam, quantum est ex parte finis, quamuis ex parte materię non excedant paternam correctionem. Nam per se primò ordinantur ad punitionem, seu disciplinam religionis, publicamque satisfactionem, cuius signum est, quia fieri debent, etiam si frater omnino emendatus sit, & quia non sunt ab omnibus, sed ab illis, quibus id in religione incumbit ex officio; quibus etiam tãquam personis publicis fides datur: & ideo mirum non est quod ad huiusmodi manifestationes secreta monitio necessaria non sit, eum faciendâ sit, etiam si persona sit emendata.

V.

a. assertio.

Secundò dicendum est etiam in grauibz defectibus superiori manifestandis, ad effectum fraternæ emendationis, licitum esse in hoc statu religioso Societatis, omittre priuatam monitionem. hæc etiam assertio expressa est in eodem can. 10. Congregationis sextæ §. 1. loquimur verd in presenti de hoc statu in speciem quia de illo institutus est sermo, tum etiam, quia non est in animo legem præscribere vniuersalem, nec comparisonem facere cum aliis religionibus. Nam hæc materia multum pendet ex particularibus circumstantiis, quibus variatis, ratio obligationis & conuenientię multum variari potest. Quanquam non possumus de hac religione in particulari veritatem hanc, quam suo canone definiuit, ostendere, nisi præmittamus prius, quid de religioso statu, ut sic, certum habeatur, ex quo in numer. 15. dicta veritas circa Societatem patet.

Quod ergo in eo statu hæc denuntiatio facta superiori immediatè, licita esse possit, ac sæpe de facto liceat, ostendendum est. Ac de possibilitate quidem id facile ostenditur. Nam leges morales respiciunt ea, quæ ut plurimum expediunt, & in hac saltem religione frequentius expedire immediatum recursum ad superiorem in citato numer. 15. probabimus, ergo nihil obstat, quominus de illo recursu possit fieri generalis lex. Et confirmatur, quia mutus religiosorum consensus potest licentiam hanc ad inuicem concedere, per quandam veluti renuntiationem mutuum iuris proprii, ob finem melioris correctionis, sine quo certe sine talis renuntiatione absoluta prodiga foret, atque adeò contra propriam charitatem: ergo licitè, & sanctè, utpote ob illum finem, proponi potest regula, quæ ab ingressuris religionem quamlibet, vel saltem aliquam, exigit illam renuntiationem, siquidem non minoris virtutis est talis consensus præsticus religioni, quam qui inter ipsos priuatos religiosos propria autoritate præstaretur, ad mutandum materiam, ut iam non sit contra charitatem, hoc est, contra bonum temporale famæ, sed potius pro charitate, hoc est, pro bono melioris correctionis prædicta manifestatio. Neque authores, qui nobis aduersantur, negant possibilitatem dictæ regulæ, quam satis nunc ostendimus, sed dari de facto dictam iuris renuntiationem, idque à viris nostræ Societatis fide dignissimis se accepisse testantur, quibus nihil aliud erit respondendum, quam offerendo citatum canonem, in quo renuntiatione, de qua loquimur, in regula contineri, manifestissime declaratur.

VI.

Probatur
positam as-
sertionem
veram esse
de possibili.

Iam quod de facto licitum fuerit, aut etiam licitum sit hodie in variis religionibus immediata manifestatio, suadetur primò auctoritate. Nam Sma. ragdus Abbas in regula S. Benedicti cap. 24. hanc regulam refert: Si quis eum quem distributionem monasterij non serentem, fugam meditari cognouerit, non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet, & tandem à conuentu fratrum sequestrandum, quamdiu ille valeat reuocari. Et cap. 32. ex Paulo & Stephano Abbatibus sic inquit: Si quis alterum quacunque parte viderit quodcumque illicitum, vel sermone, vel opere facientem, & priori distulit publicare, cognoscat se esse nutritorem peccati, & per omnia æqualem peccanti, quia & animæ suæ, & illius, quem tegit, est durissimus inimicus. Et in constitutionibus prædicatorum dist. 5. cap. 13. §. 4. dicitur, ne vitia occultentur Prelato suo, quilibet denunciât quæ viderit, vel audierit. Et cap. 18. §. 6. si quis tale quid (id est, grauiorem culpam) extra monasterium commiserit frater, qui cum eo est, studeat eius excessum Prelato quamocius corrigendum intimare. Et in constitutionibus Minorum editis à Guilielmo Farinatio, ac probatis in capitulo generali tempore S. Bonauenturæ dicitur, teneantur fratres per obedientiam exeuntes, in reditu suo secretè guardiano excessus notabiles intimare. Huiusmodi ergo lex non est vti aliena à statu religioso.

VII.

Probatur
deinde esse
veram de
facto auctori-
tate quæ
dam rati-
onem.

Iam ex scholasticis Rich in 4. d. 19. art. 3. q. 1. ad 2. sic inquit, circa regulares personas non est tanta necessitas huius ordinem obseruandi, sicut circa seculares: quia regulares, cum causa requirit, facilius & liberior à suis possunt administrationibus amoueri. Et in corpore dixit, quamuis frater sit emendatus per correctionem secretam, non esse omittendam Prælato denuntiationem, quia valet, inquit, ad præcauendum fratri à reciduo, nec cedit in famam fratris præiudicium, si talis est Prælatus qualis esse debet. Et eum refert ac sequitur Summa Rosella verb. Correctio fraterna, in principio. Et Angelus verb. Denuntiatio numer. 10. ubi in hanc sententiam inter alios refert Augustinum quæst. 1. in Leuit. & habetur 22. quæst. 5. cap. hoc videtur. item Bonauen. Luc. 17. circa illa verba, si peccauerit in te, Prælato (inquit) qui vult prodire, etiam nulla precedente correptione potest, & debet

VIII.

Item ab au-
thoritate
scholastico-
rum.

Et debet culpa proximi accusari extra iudicium, si sit occulta, quæ doctrina ita fuit à S. Bonavent. in sua religione introducta, vt contrariam docentes grauer puniret, voceque actiua, & passiva priuaret, & si pertinaces essent, in carcerem coniceret, vt refertur in lib. *Serena conscientia*. quæ ff. 85. & 100. & Corduba super regulam quæst. 1. refert idem fuisse statutum in capitulo generali tempore eiusdem Bonavent. Præterea S. Thom. hanc mouens quæstionem quodlib. 11. art. vlt. quamuis prius absolute dicat: Si ego scio, quod frater per me corrigitur, tunc non debet hoc denunciare Prælatu. statim nihilominus subdit, Si autem videtur, quod hoc melius fiat per Prælaturum, & Prælatus nihilominus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium aduersus illum subditum, tunc licet potest hoc denunciare sibi, & tunc non dicit Ecclesie, quia non dicit ei sicut Prælatu (id est, sicut iudici) sed sicut personæ proficenti ad correctionem proximi & emendam. Et subiungit, quia varia sunt conditiones subditorum, & Prælatorum, ideo reuendendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis seruanda est charitas, & quod melius, & magis expedire videtur, & si hoc intendat (scilicet, emendam proximi) & seruet quantum contra præceptum Euangelij. Et ad 3. si aliquis referat Prælatu culpam proximi intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid huiusmodi, quod ad emendam proximi viderit expedire, non peccat. Hanc doctrinam D. Thom. refert & sequitur Syluest. verbo *Correctio*. q. 7. Tabien. §. 2. Anton. 2. p. tit. 9. c. 6. §. 4. Gabr. lect. 7. 4. in Canon. lit. V. addens cum Richardo: Nota quod frater delinquens, non tantum est denunciandus Prælatu, vt priuata personæ, vt emendetur, sed etiam emendatus vt præseruetur à recidino. In quo plane sentit, præuiam monitionem, etiam si præcedat spes emendæ, non esse absolute necessariam, quandoquidem non obstante fructu eius, procedendum est ad denunciationem, per quam poterit etiam idem fructus melius sperari. Præterea Astenfis l. 2. summa tit. 67. art. 6. ex sententia Gualteri ait, formam & ordinem denunciationis nõ esse vsquequaque seruanda circa regulares personas, & ideo (inquit) modus cuiuslibet religionis est approbandus, si non est plane contra Deum, & charitatem fraternam, magis quæ attendi debet finis correctionis, scilicet emendatio peccantis, quam ordo verborum, & deinde ferè subiungit doctrinam ex D. Thom. citatam. Et eandem fere doctrinam habet Vmbertus super regulam B. Augustini cap. 90. Præterea Gerson 2. p. tract. de Correctione proximi, alphab. 34. lit. T. docet quidem admonitionem debere præcedere denunciationem ex vi præcepti, postea verò ponit quatuor exceptiones: prima est, quando frater venialiter, non mortaliter peccat, quia ad veniale (inquit) non est præceptum. Sed de hac iam diximus in assert. 1. Secunda exceptio est, quando non est spes emendæ per secretam monitionem. Tertia quando licet sit spes, est tamè periculum in mora. Quarta quando quis corrumpere non valet sine proprio periculo. Inferius verò magis explicans secundam, & tertiam exceptionem, quæ ad rem præsentem magis facit, subiungit regulam ab aliis auctoribus tactam, dicens, Hic magis debet attendi finis correctionis, scilicet emendatio peccantis, quam forma verborum, quia, vt Arist. ait. 1. Rhetor. cap. 9. ex utilitate rei publicæ, nõ ex verborum inspectione, lex interpretanda est, vnde subiungit, Si quando videatur frater peccans salubrius corrigi per alium, qui potest, & vult prodesse, quam per se, secure potest ei indicare: vnde etiam Prælatu potest dici peccatum non præmissa monitione, vel secretæ correctione, non tamquam iudici, sed tamquam amico peccantis, & quia hic magis potest prodesse, quam alius. Imò addit quippiam difficilius, peccatum de quo frater peccans fuit secretè correptus, seu admonitus, & de quo se emendauit, posse

dici Prælatu præcipienti per obedientiam ita tamè quod si denunciatus solus nouerat, soli Prælatu dicat, si autem alij nouerant coram illis, & non coram aliis Prælatu reuelet, quod semper intelligendum est, seruata dicta regula, & sine charitatis, scilicet vt vel ad comune bonum religionis, vel ipsiusmet peccantis, vt in futurum melius præseruetur, id censetur necessarium, vel saltem magis conueniens. Hoc enim nobis præcipue obseruandum est in citata doctrina, quæ est D. Thom. & omnium, & maxime loci habet in religionibus, nempe ad omittendam licet præuiam monitionem secretam, non oportere vt illa reputetur inutilis, sed satis esse, vt per Prælaturum maior utilitas, vel circa satisfactionem, & emendationem commissi, vel circa futurum periculum speretur.

Denique confirmari hoc potest ex Innocent. III. in c. qualiter, & quando. 2. de accusationibus. vbi cum dixisset, sicut ante accusationem legitimam præcedere debet obsequium inscriptio, sic & denunciationem charitativa monitio, inquisitionem clamorosa infamatio, subdit statim, Hinc tamen ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum quæ cum causis requiritur facilius, & liberius possunt à suis administrationibus auereri, ex quo loco videntur plures ex dictis auctoribus illum modum loquendi sumpsisse. Et videntur illa vltima verba ad omnes tres modos inscriptionis, scilicet monitionis, & inquisitionis referenda, quia super omnes immediatè cadunt: quia nulla est ratio, cur ad primum, vel tertium, & non ad secundum referatur. Et de aliis quidem dicemus c. 11. & 12. de secundo verò, quod ad præsens spectat, ratio multiplex reddi potest.

Prima, quia religiosus ex vi sui status proficetur perfectionis viam, & consequenter etiam emendationem morum per remedia meliora & conuenientiora, & ideo quamuis forte circa seculares non sit facile omittenda præuia correctio, propter spem maioris boni, quando sufficiens emendatio per idem speratur: nihilominus in religioso statu illa exilimari debet ratio sufficiens. Sed obicit Soto dil. 94. dub. 3. post 3. conc. quia fama subditi apud Prælaturum, magni estimanda est, vt n. 3. indicauit ergo fine extrema necessitate non est prodigenda, ergo nõ satis est quod correctio melius fieri possit per Prælaturum, sed oportet vt aliter fieri nõ possit. Atque ipse sentit, etiam inter religiosos, sed in hoc contradicit plane D. Thomæ & communi sententia Doctorum, quos n. 7. §. 8. & 9. recituli. Vnde licet fortasse inter seculares illa doctrina Soti in praxi regulariter sit securior, quia secularis magis pendet ex huiusmodi fama, & quia raro inter eos est hic vius paternæ denuntiationis, & rursum quia nõ sunt professi viam maioris perfectionis, tamen inter religiosos non est dubium, quin si Prælatus sit qualis esse debet, hoc liceat non solum propter absolutam necessitatem, sed etiam propter quodlibet maius spirituale bonum, cui non est fama illa comparanda, præsertim quia illa infamia non est tanti momenti, vt statim dicatur in tertia ratione, attingit supra c. 6. n. 12.

Secunda, quia inter religiosos propter maiorem vniõnem inter Prælaturum & subditum, maiorem dependentiam ferè in omnibus rebus, & occupationibus vitæ, regulare, ac morale est, vt per prouisionem Prælati perfectior & firmior emendatio spectetur, quin potius addit Caiet. com. 1. Opusc. tract. 31. qui est 17. responsum resp. 5. ad 1. dubium, in religiosi non facile credendum esse quando aliquis grauius labitur esse ita emendandum per prouisionem, vt non sit amplius peccaturus, Et correctionem, vt non sit amplius peccaturus, Et correctionem (subinfert) rarius est in huiusmodi casibus Prælatu petenti per se, vel alium (addo vel expresse, vel tacite) & vi.

Exploratur
in huius
ratione.

Et volentis saluare, non perdere oues suas, & curam fame proximorum solio habere, ut pastorem decet, complices, siue non complices sibi notos reuelare. Et explicari potest vis huius rationis in hunc modum, nam vel religiosus peccat per occasionem aliquam moralem, quam domi vel extra habeat, vel sine illa: in priori casu necesse est Prælatus habere noticiam, quia vix potest alius occasiones huiusmodi praeuenire, & auferre, imò interdum neque ipse delinquens poterit occasiones vitare, quia fortasse prælatus ignoras ipsum in eis constituit, & ipse cogetur obedire. Si autem sine occasione labitur, necesse est ut sit, vel ex praua consuetudine, vel ex nimia fragilitate, & in utroque euentu moraliter necessaria est auctoritas Prælati, quia in utroque casu difficilis est praeferuatio, & multis indiget remediis, quæ non solum potest Prælatus consulere sicut alius frater, sed etiam præcipere, & secreto cogere, vel ad secreta opera penitentiae, vel ad frequentem orationem, & alia huiusmodi. Video esse posse alium modum peccandi ex repentina tentatione, aut vehementi occasione raro contingente, quæ moraliter amplius timeri non potest, sed hoc & rarum etiam est, & pertinere potest ad exceptiones, de quibus infra nu. 17. præterea licet in eo casu cesset hæc proxima ratio, raro cessabunt omnes, quæ maiorem vtilitatem huius denuntiationis, vel respectu religiosi, vel respectu religionis, ostendunt, ut ex dicendis constabit.

XII.
s. Ratio.

Tertia, quia infamia, quæ hinc sequitur religioso, quam minima est, & ideo non solum propter necessarium remedium, sed etiam propter maius spirituale commodum est postponenda. Nam imprimis supponimus Prælatum seruaturum secretum, & non diffamaturum subditum suum, nam si aliud probabiliter timeatur, nullo modo est illi reuelandum delictum. Nam etiam in sacramentali confessione tacere potest proprii delictum si infamatio timetur: ergo multo magis cauenda est denuntiatio alieni delicti, cum tali discrimine, præsertim, quia non potest sperari fructus ex notitia illius Prælati, qui non valet seruare secretum. Si autem infamia non transcendit sinistram illam opinionem, quæ in Prælato generari videtur, non debet esse magni ponderis apud religiosos, nam reuera, si emendari vnusquisque velit, & condignam penitentiam sui peccati agere, & sufficientia media ad non reincidenti adhibere, non solum recuperabit bonum nomen, sed etiam in bona opinione crescit apud spirituales & prudentem Prælatum, ut c. 6. n. 16. in simili dicebamus. Deinde, quia fama non est bonum per se amabile, sed solum quatenus confert ad virtutem, vel ad alia bona naturæ conuenientia ac necessaria; si ergo illa opinio, seu cognitio mei peccati in superiore non redundat in aliquod damnum meum, sed potius in vtilitatem spirituales, & simpliciter in maius bonum, profecto non est reputanda infamia, quæ sit verum aliquod malum. Præterea fama religiosi potius est religionis, quæ sua, quia ipse totus non est tamen suus, quam religionis, unde si iniuriam aliquam patitur, & per iudicem expedit illam repellere, aut vindicare, non ad ipsum, sed ad monasterium, hæc cura spectat, iuxta doctrinam Panormitani, Felini, & aliorum in c. cum dilectis, de re scriptis, de qua Nauarr. comment. 2. de Regularibus n. 65. & 66. ergo si manifestatio peccati personæ religiosæ sit Prælato, ex mandato vel licentia eius, in maius commodum religionis, vel religiosi non fit iniuria religioso, quia de voluntate principalioris domini, vel dispensatoris eius fit illa qualiscunque iactura famæ: neque etiam fit contra ordinem charitatis, quia illa denuntiatio ordinatur ad finem consentaneum perfectioni charitatis, & est medium moraliter vtilius ad illum finem.

Quarta in statu religioso est peculiaris ratio, ob quam regulariter timeri potest ne quilibet grauis lapsus in aliorum, vel saltem in alicuius spirituale damnum vel scandalum cedat, propter magnam societatem, & familiaritatem, quæ inter ipsos esse solet, ex qua prouenit, ut exemplo vnus facile alij corrumpantur, præsertim, quia illi qui similiores sunt moribus, vel affectibus, facilius solent inter se coniungi: atque ita vitium vnus facile in alium redundat. Est autem communis doctrina Doctorum, quoties peccatum fratris in aliorum detrimentum vergit, sine mora denuntiandum esse Prælato, ne aliis noceat: ergo regulariter ita fieri poterit in religione propter vitandum aliorum nocumentum: quia sine Prælati auxilio vix potest fieri aut sperari. Accedit præterea, quod ex hac vnione, vel potius vnitate corporis prouenit, ut peccatum vnus religiosi in infamiam totius religionis, vel monasterij cedat, præsertim apud vulgus, quod propter magnam vitæ similitudinem, statim exultimat tales esse reliquos, qualem vnum aliquem conspiciat, ut optimè dixit Augustinus epist. 137. & S. Bonaventura super regulam q. 16. Hæc ergo ratione quodlibet peccatum graue religiosi commune est detrimentum religionis, ac propterea ad Prælatum, qui boni communis curam gerit, maximè spectat huic modo subuenire, ac propterea moraliter necessarium est, ut eius noticiam habeat, ut famæ religionis prospicere possit, quæ multo maioris momenti est, quam fama vnus religiosi circa Prælatum suum.

XIII.
4. Ratio.

Vltimò ex omnibus coniecturis, & circumstantiis hæcenus adductis simul spectatis, colligitur valde expedire ad commune bonum status religiosi, ut singuli eorum intelligant graues lapsus, qui in eis obseruati fuerint superiori, esse statim denunciandos; nam hoc fræno cautiore sunt, magisque formidabunt huiusmodi lapsus, saltem, propter timorem sui nominis erga superiorem, & propter eius correptionem, possumusque exemplo reservationis casuum hoc declarare, quæ ideo ab Ecclesia inuenta est pro grauioribus culpis, ut ipsa difficultas & timor accedendi ad superiorem contineret homines. Quod maximè factum est in illis peccatis, quæ rem publicam maximè offendunt, aut scandalizant: Sic ergo dici potest Prælatus religionis, quodammodo reservare sibi emendationem delictorum in suis subditis, etiam per secretam correptionem, ut illo medio non solum melius emendet lapsos, sed etiam reliquos contineat ac præseruet. Vel potius dici potest consideratis conditionibus talis status ex natura rei hoc munus pertinere ad ipsum Prælatum, eique deferendum esse, quia, moraliter loquendo, non potest aliter communi bono religionis & singulorum religiosorum saluti, & perfectioni satis consuli, itaque ob magnam diuersitatem status religiosi à communi statu fidelium, dici potest mutari materia illius siue præcepti, siue consilij Evangelici, atque adeo immediate transire fraternali monitionem in paternam.

XIV.
s. Ratio.

Ex his autem quæ communia sunt statui religioso, ad minimum colligitur morali quadam euidencia (ut ex ultimo) hoc sæpius esse licitum: si ergo vltimus consideremus ea, quæ Societatis propria sunt, plane concludemus, moraliter loquendo, semper ac de facto hoc licere, & expedire, quia ferè in omnibus circumstantiis, quas considerauimus, est aliquid speciale in hac religione, propter quod talis Prælatorum prouidentia in huiusmodi lapsibus subditorum maximè necessaria est: præcipue verò propter ministeria Societatis circa proximos, & varias occasiones in quibus ratione illorum ministeriorum possunt religiosi à suis Prælatis constitui. Item propter maiorem dependentiam, quam subditi habent

XV.
Rationes
hæcenus po-
nitæ max. in
locum habet
in Societate.

habent à suis Prælati, non solum in muneribus & ministeriis suis, sed etiam in operibus penitentia, mortificationis & orationis, quibus in huiusmodi occasionebus iuvari debent. Præterea propter specialem quandam communicationem, & fraternam unionem, quam hæc religio proficitur, ratione cuius peccatum vnius magis posset alios incurrere, nisi summa vigilantia præueniretur. Accedit, quod iuxta huius religionis institutum necessarium est ab adolescentia, & iuuentute religiosos in ea educari & institui, atque ita magna ex parte religiosos esse adolescentes, in qua ætate magis indigent providentia & disciplina Prælatorum: in illis ergo regulariter hæc notitia Prælatorum necessaria est; in aliis vero, qui iam sunt profectionis ætatis, diuque fuere in religione probati, bonumque sui specimen dederunt, raro cum diuina gratia erit necessarium hoc providentia genus, tamen quia semper in periculis versamur, & quia non habemus locum fixum & certum, & quia non semper domi continemur & includimur, sed propter salutem proximorum per varia loca peregrinamur, ac denique, quia superiorum providentia ad omnes generalis esse debet, & non omnes sunt æque constantes, ac firmi, ideo generaliter optimum est, ut circa omnes hic modus custodiamus, ac providentia obsequeretur. Tandem quæ hæc religio magis erga proximos versatur, tanto magis indiget bono nomine, & fama apud illos, tum ut ipsi proximi maiori cum fiducia & securitate conscientias suas operariis Societatis aperiant, tum vt ex parte sociorum ministeria cum maiori fructu, & efficacia peragantur, ad vtrumque autem finem maxime oportet, ut bonum nomen non fictum & fictum sit, sed in vera ac solida virtute fundatum: quod vix aut nullo modo fieri aut conservari potest, nisi superior suorum subditorum defectus agnoscat, vt vnumquemque applicet ad eam rem, cui sine suo detrimento & proximorum scandalo possit deferre, & vt quem infirmum esse cognoverit, ad lucrandos alios non applicet, donec ipse curatus & lucratus sit; propter hæc ergo & alia fortasse, quæ sexta Congregatio generalis consideravit, canonem illum re. edidit, quo vtrique assertio continetur, ita vt iam de illis nobis non sit integrum dubitare.

XVI.
Obiunctio
satisf.

Dices, si intra latitudinem charitatis possunt esse varij modi aut ordines corripiendi, vel denuntiandi, vt ex hæcenus dictis deducitur, certe ille, qui à Christo D. est traditus, existimandus est ex suo genere perfectior, namque illa eius verba, aut verum præceptum continent, aut saltem consilium, vt c. 7. n. 9. ostensum fuit: ergo propter neutrum titulum præcepti, scilicet, vel consilij potest ille ordo dimitti, aut renuntiari, quia vel semper (licet non pro semper cum sit affirmatiuus) obligat, vel perfectio charitatis illum postulat. De hac obiectione iterum in cap. seq. respondendo ad 4. rationem recurrer sermo, nunc dicimus siue obligationis sit ille ordo, siue consilij, non fuisse à Christo datum nisi stante iure cuiusque proprio in sua fama: non autem eo renuntiato: regula verò Societatis supponit perfectam illius iuris renuntiationem. Neque absolute verum est, Christum semper perfectissima docuisse, sed perfectissima huic, vel illi personarum statui. Nam Apostolos multa docuit in sermone habito in monte, Matth. 5. Turbis verò minora, vt August. l. 1. de sermone Domini in monte, & Ambros. l. 5. in Lucam c. 6. notarunt, imò & idem seruari in eisdem personis pro diuersis temporibus vulgare documentum est, iuxta Pauli metaphoram de lacte & cibo solido, Hebr. 5. Ergo eo ipso quod in sua Ecclesia Christus D. religiosum statum esse voluit, virtute docuit, quidquid perfectionis in eo optari rationabiliter potest.

Vltimò verò præter illas regulæ moderationes, in c. 7. n. 21. ponderatas addendum est, per hæc omnia non excludi, quin in singularibus actibus considerandum sit, an cesset omnino ratio immediatæ delationis ad Prælatus: cessare autem poterit, si in aliquo particulari casu contingat, vt penitus omnibus circumstantiis, prudenter iudicetur notitia superioris, nec necessariam nec vtiliorem esse futuram, ad emendationem fratris, securitatem religionis, & alios fines honestos, qui per talem denuntiationem intendi possunt (quod quia ratissimum erit, ideo à lege seu regula non curatur) nam tunc abstinendum est à tali denuntiatione, si lapsus sit occultus, & nullum offendiculum aliis præbuerit, nec in futurum timeatur. Tunc enim vt ratio illa charitatis, vt subueniatur proximo in maioribus bonis, cum minimo, vel nullo incommodo in bonis inferioris ordinis, si fieri possit: & hoc solum probat communis schola Theologorum quando affirmat præceptum correctionis fraternæ obligare etiam ad seruandum ordinem eius: semper enim intelligitur quando cæteris paribus, in spiritualibus bonis seruari potest, conseruando proximi famam. Quamvis enim hæc fama diminuitur apud Prælatus prudentem, & qui subditum diligit vtilium & seruaturus est secretum, non videatur magna iactura: nihilominus si abque rationabili causa fiat, non potest excusari à culpa. Quotiescunque enim occultum peccatum fratris alteri (quicunque ille sit) sine iusta causa reuelatur, vitium est derelictionis, iuxta doctrinam communem, cum D. Th. 2. 2. quæst. 73. art. 1. & 2. de qua videri potest Nanarr. in cap. inter verba, conclus. 6. coroll. 1. & 33. & Soto dict. relect. de regendo secreto membr. 2. dub. 3. Vnde constat tale peccatum ex genere suo mortale esse, in indiuiduo autem facile esse poterit veniale in præsentia materia: quia supponimus denuntiationem bona intentione fieri, etiam si forte non prudenter fiat, quia illa intentio facit vt illa derelictio non sit formalis, sed tantum materialis, quam frequenter esse peccatum veniale, dixit D. Thom. supra, & aliunde nocuementum, si quod est, multum minuitur, tum quia reuelatio fit vni tantum personæ, & ita corrumpit famam, non in totum, sed in parte, vt dixit idem D. Thom. dict. art. 1. ad 1. Tum etiam, quia licet persona Prælati grauis sit, tamen si sit talis, qualis esse debet, nihil propterea nocet subdito, qui iam supponitur perfecte emendatus, vel emendandus per admonitionem eius: quin potius semper afferet aliquam vtilitatem spirituales, moraliter loquendo, nam saltem impensius orabit pro illo, quando omnis alia occasio procurandi maiorem eius profectum desit, quod vix potest contingere. Quocirca raro poterit hoc ad culpam præferri: in mortalem damnari, nisi quando ex parte superioris timeatur, quod non recte vteatur illa notitia in bonum ipsius subditi, quia, v.g. vel concipiet odium in illum, vel iniuriam, aut saltem imprudentem indignationem, quæ solet nimium affligere & inquietum reddere subditum. Idemque erit si nobis fragilitatem, & peculiarem fratris conditionem, si similis perturbatio timeatur, etiam sine culpa superioris, quia si de facto denuntiationem non est illi profutura, & alioqui non indicatur necessaria ad bonum continuum, aut aliorum, quia per admonitionem secretam speratur prudenter sufficiens emendatio, non solum otiosum, sed etiam alienum à charitate esset, tale denuntiationem facere.